

mihī, quia ipsi tantum irrogabatur pœna, etsi gravissima quæ nihil est respectu culpæ, quam Judas contrahebat.

Ad hæc malum etiam pœnæ tibi adauges, dum litibus vacas, et vindictam sumis; in mulctam etenim magistratui incidis, et substantiam tuam exhauris tandem: ut mirum sit, quomodo saltem hæc temporalis jactura homines non absterreat, pecuniarum scilicet, quorum ad se sunt tenaces. Effascinos oportet esse illos, qui novam et integram scindunt tunicam, qua veterem et dilaceratam reficiant. Accidit meo iudicio istis, quod figulo illi vasa sua fictilia navigio vehenti, qui a Michaele Sicidite e palatio Const. conspectus, ita effascinosus est, ut immanem serpentem se devoraturum quasi, supra vasa sua se conspiceri putaret: quare accepto baculo vasa sua pene omnia comminuit: sublata phantasia barba seprehendere et lamentari insaniam suam vel potius sortem, qua deceptus vasa sua contriverit, refert Nicetas Choniata, l. IV. de vita Emmanuelis. Sic prorsus dum inimicum ferire et convertere te putas, tummet substantiam conteris. Exemplo est Roboam ille, qui dum subditos suos magis magisque atterere parat, regnum suum discindit, et decem tribus a se abalienat. Hoc lucri habuit, III. Reg. XII.

III. Sed forte jucunditatem saltem conferet vindicta; canit enim poeta:

*Est vindicta bonum, vitæque jucundius ipsa.*

Falleris mi homo. Verum est, quod ait poeta, sed de vindicta illa, quam aliquando sumet Deus de nostris inimicis; non de ea, quam quis sibi ipse sumit. Hæc enim etsi forte ad momentum recreat, gignit tamen in homine interim metum et perturbationem, relinquit etiam post se aculeum, quæ conscientiam exulcerat, et carnificis instar torquet, perpetuoque velut canis allatrat: quemadmodum sensit Cain, post patratam fratris cædem, cum profugus terram, nullibi consistere potuit, nusquam securus, agitatus et allatrat a fratris sui manibus: id quod ei prædixerat Dominus: *Si male egerit, statim in foribus peccatum aderit*, (Hebr. *accubabit*, quasi canis scilicet furem allatrans et de peccato redarguens) Gen. IV. Nimirum uti salamandra: *Perire conscientia dicitur homine percusso, neque amplius admitti ad terras*, inquit Plinius, l. XXIX. cap. IV. ita Cain et homicidæ alii vel ab ipsa sua conscientia ad exilium damnantur et profugi sunt in terra. Sensere et horrere hunc canem, quicumque gravem aliquando vindictam privata auctoritate de hostibus sumpserunt, uti Alexander M. cum Clitum sibi charissimum ac fidelissimum ob rem

levem temulentus occidisset; mox enim conscientia sceleris furens sibi mortem inferre voluit prohibitus tamen a suis, aliquamdiu post delituit, ut scribit Seneca, c. LXXXIV. Nero matrem trucidata aiebat, se specie materna exagitari, verberibus furiarum telisque ardentibus, ac nullo loco posse tutum consistere, Dione auctore Viginti et tres anni jam elapsi erant a vendita Josepho usque ad id tempus quo fratres in Ægypto velut proditores dure accipiebat; et tamen a tot annis memoria injuriæ in fratrem admissæ et statim omnium mentibus se sistit, ita ut ob eam se castigari existimarent. Nimirum: « Sicut ebrius, inquit in hunc locum Chrysost. quando multum vini ingurgitat, nullum sentit a vino damnum, postea autem sentit, quantum sit damnum: sic peccatum, donec consummetur obtenebrat mentem, et quasi densa nubes ita mentem corrumpit; deinde conscientia insurgit, et quovis accusatore mentem gravius arrodit, monstrans absurditatem facti. » Quod etiam verum est in levibus vindictis, uti sentit David, cujus cor et conscientia statim eum percussit, quando vel oram chlamydis abscidit vesti Saulis, quem occidere potuisset, I. Reg. XXIV. Fuit autem illa percussio, angor conscientia et remorsus, factum ejus improbens et quasi ad rationes vocans, tametsi id levem tantum injuriam continebat. Quid si honorem? Quid si membrum Sauli abscidisset? Quæ verbera, quos ictus conscientia David inflixisset? De hoc eodem remorsu prudentissime eum monuit Abigail, c. seq. cum eum ab ultione in maritum ejus concepta, abstertere conata est. Inter alia enim hoc argumento Davidem a proposito revocavit: *Non erit tibi hoc in singultum et in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris*. Prævidit enim sapiens mulier animum Davidis paulo post penitentia inquietandum, si ultionem sumeret de Nabal. Recte vero eum remorsum vocat *singultum et scrupulum*. Singultus enim est convulsi quædam corporis ab acrioribus ventriculi humoribus proveniens, scrupulus est lapillus calceo immissus et pedem inter eundem affligens. Talis autem est remorsus conscientia, memoria tristicis sceleris admjssi, rodens et accusans hominem. Prævidens itaque David hoc sibi eventurum, quod prædixerat mulier, abstinuit vindicta, tametsi a stulto Nabal graviter offensus fuerat. Licet vero hic remorsus communis sit omnibus peccatis, peculiari tamen ratione et pertinacius atque instantius sequitur peccatum vindictæ, præsertim effusionis sanguinis, ut patet in Caino, Davide, fratribus Josephi, qui, cum primum aliquid adversi eis contin-

gebat, statim id peccato vindictæ suæ adscribebant; et effusus sanguis ilico vellicabat eorum memoriam, Caino dicitur: *Sanguis fratris tui clamat ad me*: Davidi objicit Semei: *Egredere vir sanguinum: ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es*. Ipse etiam peccata sua *sanguines* appellat: *Libera me de sanguinibus*. Fratres Josephi aiunt: *En sanguis ejus exquiritur*. Justam hanc Dei in hoc vindictam ex Ezechiele discimus, c. XXXV. ubi dicitur: *Cum sanguinem oderis sanguis persequetur te*. Eodem sensu arbitror Dominum dixisse, Matth. XXVI. *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Non omnes quidem reipsa, omnes tamen objective, gladio remorsus, qui perpetuo eos insequitur, lancinat ac laniat. Gladio etiam pereunt omnes; qui dum gladium accipiunt, gladio peccati, inquietudinis, perturbationis et furoris feriunt seipsos; gravius quam inimicum. Qui enim vindicari vult, noctes ducit insomnes, a laboribus sibi congruis et convenientibus cessat in die, cogitationibus absumitur, timoribus angitur, curis affligitur, facultates suas prodigit, periculis magnis se exponit, corporis vitam consumit, et animam mortuam quasi in loculo defert. Qui autem servat, quod Christus præcipit, hic omnibus liber manet, quietus dormit, sua curat, periculis se liberat, corpus servat, animam salvat. De sanguinariis quibusdam militibus, Ezech. c. XXIII. ita scribit: *Descenderunt ad infernum cum armis suis, et posuerunt gladios suos sub capitibus suis*. Qui sunt isti, quæso, nisi sanguisugæ, qui die nocteque meditantur gladium, sanguinem, cædem? Gladius eorum pulvinar est, qui nullam sibi quietem nisi a cæde et vulneribus quærunt. Hinc etiam gladius persequitur eos diu nocteque usque dum moriantur et ad inferos descendant. Non putatis gladium pro cervicali habuisse Ludovicum Severum Boiorum ducem, qui postquam falsa suspitione de violata conjugis fide deceptus, furore et iracundia plenus advolvit Donawerdam, (ubi conjux degebat) moxque primum domus satellitem, deinde unam e gynæceis virginem gladio peremit, altero die conjugem gladio feriri jussit; sequenti nocte caesorum manibus ita exagitatus est, ut ea una totus incanuerit (uti alibi diximus) quasi septuagenario major esset. Hæc igitur, auditores, hæc est jucunditas vindictæ, inquietudo, perturbatio, furor, totius corporis fæda commotio, pavor, horror, scorpionum aculei, lancinatio cordis. Ac licet forte dum vindicta exercetur, pascatur animus irati, et jucunde quasi epuletur: ea tamen momentanea jucunditas mox desinit in mœrorem et amaritudinem, ac denique in interitum sem-

piternum. Lætabantur supra modum Philisthæi Samsone deprehenso, infensissimo hoste suo; unde exoculatum molere coegerunt, suo etiam in convivio ludere cum pueris, vel puerorum potius ludum et ludibrium esse voluerunt, dicentes gratulabundi: *Tradidit deus noster inimicum nostrum Samsonem in manus nostras*. Interea dum illius ludibrio pascunt animos suos, dum eum ludunt et illudunt, ab eodem acerrimo vindictæ jaculo feriuntur, concussisque domus columnis omnes opprimuntur, Judic. XVI. Itaque: *Ad infernum descenderunt cum armis suis*. Nemo igitur in propria vindicta quærat hic jucunditatem: ibi, ibi, in altero sæculo: *Lætabitur justus cum viderit vindictam: manus suas lavabit in sanguine peccatoris*. Ibi: *Mansueti hæreditabunt terram, et delectabuntur in multitudine pacis*.

## CONCIO V.

QUI SINT ILLI, QUI SUFFOGANT PROXIMUM.

I. Passionali et iracundi. — II. Austeri et violenti. — III. Qui pauperes opprimunt oneribus. — IV. Usurarii. — V. Qui veniam petentibus dare nolunt. — VI. Qui in aliis severius reprehendunt quod ipsi faciunt.

THEMA.

*Tenens suffocabat eum*. Matth. XVIII.

Immane crudelitatis exemplum videmus in hodierni evangelii parabola, servum videlicet in conservum suum ob exiguum debitum, dire sævientem, eum suffocantem, preces et promissiones audire renuentem et in vincula eum mittentem. Qua quidem parabola exprobrare nobis et ostendere voluisse videtur Christus feritatem nostram, qua multoties variis modis in proximos nostros insanivus. Merito quidem Plautus, in asinaria dixit: *Homo homini lupus*. Id enim quam verum sit, ex hodierno evangelio patet. Sed parum est, quod Plautus dixit: Lupi enim hominem non invadunt, nisi semel in anno, mense februario, nec nisi in magna fame; multo minus speciem suam nisi in extrema esurie, qua convenire dicuntur, et in circulum discurrere, ubi non quemvis sed qui primus ex ipsis cadit, adeoque debilissimum tantum devorant. Ast homo etiam satur homini non parcat, et ne debili quidem. Satur erat conservus iste, debitis non premebatur amplius, quia dimissa erant illi omnia, et tamen invadit conservum debitorem suum. Si adhuc ære alieno oppressus fuisset, potuisset allegare suam necessitatem et indi-

gentiam; sed hoc jam non potuit. Quam recte igitur Matth. X. dixit Dominus discipulis: *Ecce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum?* Et quasi satius sit inter lupos degere, quam inter homines, ideo mox subjunxit: *Cavete autem ab hominibus;* quia nimirum, ut Chrysost. super Matth. ait: *Præ omnibus malis homo pessimus est malus.* Inde etiam David optione data eligendi pestem, aut hostium incursus, pestem elegit, dicens: *Melius est, ut incidam in manus Domini, quam in manus hominum,* II. Reg. ult. Sane quam inhumanum fuerit hoc facinus, testantur conservi, qui videntes illud: *Contristati sunt valde, et narraverunt domino suo omnia, quæ facta fuerant:* testatur ira regis, qui servum nequam dire inreperatum tradidit tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sed quid si plures tales adhuc inveniamus? Non equidem puto inter meos auditores. Nihilominus ut tales impensius vitemus, digito eos notabimus.

I. Tales sunt passionati et iracundi, qui ob levem quamvis offensionem vel ad conspectum inimici statim exardescunt, quasi omnia invertere velle videantur, nec placantur donec ultionem sumant, offensorem damno aliquo afficiat. Suffocant isti proximum, partim corporaliter quia vel bonis eum exuunt, vel vulnerant, vel contumeliis onerant et infamem reddunt, adeoque miserum: partim spiritualiter; quia præcipiti hac correptione facultatem adimunt reo veniam precandi: magisque eum exasperant, ne errorem suum agnoscat; sed potius defendat et ad iracundiam ipse quoque inflammetur. Aliud est injuriam propulsare, cum actu inferitur; aliud acceptam vindicare. Illud concedunt jura: hoc non item, sicut nec judicem agere in propria causa. Præterea aliud est vindicare acceptam injuriam, aliud accepti damni reparationem in judicio exigere: hoc enim licet, non illud; quia Lev. XIX. præcepit Deus: *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.*

Ratio est primo, quia per hoc non quærit homo, ut male sit ei, a quo damnum accepit vel injuriam: sed intendit tantum indemnem se servare, et reum emendare. Ulter vero spectat, ut eidem male sit, nulla ratione emendationis habita; qui affectus pugnat cum charitate. Quis vero es tu homo, qui audeas Deo eripere gladium e manibus, vel etiam magistratui cui illum Deus credidit? Non audis illam Dei vocem: *Mea est ultio, et ego retribuam in tempore?* Deut. XXXII. Non metuis, ne in temetipsum exeras gladium tuum, juxta illam Domini vocem: *Qui acceperint gladium gladio peribunt?*

Secundo, annon vides in homine, quem per-

sequeris, signum immunitatis, imaginem Dei? Tu vero: *Quis es, qui judicas alienum servum?* ait apostolus: *Domino suo stat, aut cadit.* Non enim servum, sed conservum tuum persequeris, uti in hod. evang. discis.

Tertio, nonne hoc ipso causam tuam malam facis, qui teipsum vindicas? Prodis enim te, quasi jus in adversarium non habeas, quod dicere tibi judex possit: ideoque tibi ipsi judex esse vis, ne coram legitimo judice causa cadas. At vero hoc æquumne est? Deinde, quomodo tu tractas proximum tuum, ita aliquando tractaberis ab aliis. Non enim frustra Sapiens comparat tales ollæ bullienti, cum ait: *Os futuorum ebullit stultitiam,* Prov. XV. Ut enim olla bulliens, omnem, quam continet, ejicit pinguedinem, et ignem quidem extinguit, ipsa vero ad extremum rumpitur: sic etiam passionati, dum furore æstuantes proximos lædunt, ipsi tandem male dispereunt; et sæpe a vili homuncione perimuntur, quia sic voluerunt rixarum amatores.

II. Tales sunt, qui cum austeritate et violentia imperant, proceduntque contra proximos vel subditos, nec audire volunt eorum querelas vel excusationes. Ibi enim quam suffocant suos conservos, quis non videt? Multi sane in subditos ita dominantur eorumque causas rejiciunt ut neque advocati neque lamenta quidquam valeant. Tales viri Dan, Jud. XVIII. qui cum abstulissent Michæ suum sculptile et omnia quæ habebat, clamanti post eos et sua repetenti, dicebant: *Cave, ne ultra loquaris ad nos, et veniant ad te viri animo concitati, et ipse cum omni domo tua pereas.* Audiamus recens alius hujus tyrannidis exemplum. « Scio præfectum quemdam quietum, ait Chavas. de prud. l. II. c. VI. cujus erat latrones insectari, comprehendisse aliquot in silva, prope Aurelias, et statim jussisse omnes in crucem agi. Tum ex illis unus sic eum est affatus: Domine scito civem me esse Aureliacensem, familiæ meæ omnium fere ditissimæ hæredem, columen domus et toti civitati charissimum nihil minus profitentem, quam latrocinium; sed heu cum ante duas horas inde discessissem, villæ cujusdam nostræ contemplandæ gratia, incidi miser in hos prædones mihi insidiantes necemque intentantes, nisi eos sequerer. Quod quam invitatus fecerim vos ipsi cogitate. Obsecro itaque ne præcipitetis in me sententiam, retinete me, Aurelias mittite, qui exploret, num ita sit. Si deprehensus fuero vobis illuisse, nullum recuso mortis acerbæ genus, tantum explorete, quod dico, et persuasum habetote, si me prius occideritis, actum iri vobiscum pessime. Quid ille ad hæc? Contempsit justissimas

preces supplicis, lacrymantis, suspirantis, omni commiseratione dignissimi, præcepitque ut ex arbore penderet cum sociis. Quod ubi rescitum est Aureliis, abominationi fuit omnibus, rexque ipse tam iniqua præcipitatione factus certior, confestim removit eum ab officio. » Sed mitiori adhuc pœna affectus est: nam coram tribunali divino audivisset id Jac. II. *Judicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam.* Et hoc eo retuli, ut appareret, quanta iniquitas sit, non audire supplicum defensiones.

III. Tales sunt, qui pauperes opprimunt oneribus atque exactionibus: item qui litium prolongationibus eos atterunt, et exhauriunt. Teneant enim illos sub jurisdictione et dominio suo, premuntque oneribus importabilibus, uti Pharao Israelitas; donec ad mendicitatem redigant. Pareunt quoque bonis suis, et utuntur bonis subditorum; cujusmodi virum divitem introducit Nathan, in parabola coram Davide, II. Reg. XII. Cum enim peregrinus quidam venisset ad eum, parcens ille sumere de ovibus et bobus suis, quos habebat plurimos, tulit ovem unicam viri pauperis, ut præpararet hospiti convivium. Hoc facinus cum audisset David: *Iratus indignatione adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* At vero quam multi reperuntur tales inter Christianos, qui parcunt bobus et equis suis, vacantibus ab onere, et subditorum utuntur jumentis ad operas suas? Vultis dicam, cujusmodi sit hæc tyrannis? Simiam habebat Julius II. pontifex, quæ reclusa in servorum camera cum vidisset a servis pontificis castaneas sub prunis assari, et unico ferreo extrahi, aliquando dum omnes incumberent aliis ministeriis absentes, castanearum avida, cum non haberet instrumentum, quo castaneas extraheret, felem, quæ forte sola aderat, arripit una manu, sinuque obstrictam detinet, altera manu felis dextrum brachium capit, eoque prunas dissipat, et extrahit castaneas, nec quicquam ejulante fele, cujus pedes urebantur, apud Maiolum, tom. I. canic. coll. VII. Ita agunt multi domini, vel tyranni potius cum subditis, quidquid enim urit, quidquid sordet, quidquid dolet, id non suis, sed subditorum peragunt manibus, nec moventur eorum lacrymis ac lamentis. Sed quid dicit Dominus: *Non facias violentiam pauperi,* inquit Prov. XXII. *quia pauper est, neque conteras egenum in porta* (id est, iudicio) *quia judicabit Dominus causam ejus, et configet eos* (id est, affliget) *qui confixerunt animam ejus.*

Finzelius, l. II. scribit, an. Dom. 1532. virum nobilem injunxisse rustico suo, ut juncto ad

currum equo suo prægrandem quercum e nemore ad domini ædes adveheret, idque sub gravi pœna. Rusticus hoc sibi impossibile cernens, suspirans pergat ad nemus, cui obviat humana specie dæmon, ac doloris causam quærit, ea intellecta spondet se cras quercum ad heri ædes advecturum; et domum ire jubet rusticum. Tum dæmon densissimam ramis quercum ante ædes nobilis transversam projicit, eumque adamantinam duritiem induisset quercus, ut discendi amplius non posset, nobilis e domo egredi non poterat, itaque alibi ostium per murum effringere coactus est, quercu in loco suo remanente, ad divinæ ultionis memoriam. Quare non male Ludovicus XII. rex Franciæ dicere solebat (ut habent annales Franciæ): *Plebem et rusticos esse pascua tyrannorum et militum: tyrannos autem et milites esse pascua diabolorum.* Quod etiam dici potest de potentioribus quibusdam civibus qui suis divitiis et pecuniis omnia mercimonia ad se trahunt et propolia instituunt, iisque cives alios exhauriunt ac suffocant, ut nunquam emergere queant. Qui sicut pauperes devorant, ita ipsi devorabuntur a dæmonibus, quorum cognatum sibi nomen habent, teste D. Ambrosio, l. de Naboth et Achab, c. VI. « Ditem ait, dicunt gentiles inferorum præsum, arbitrum mortis, Ditem appellant et divitem, quod nisi mortem dives inferre non noverit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferi sunt. » Minatur illis Deus, Isa. V. *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos soli in medio terræ?*

IV. Tales sunt usurarii qui dum pignora debitorum suorum retinent, et nisi ad præfixum terminum cum usuris solvant, hortos, ædes, agros eorum invadunt, et debitoribus abstrahunt, terminos solutionis abruptos ponunt, postea exactionibus angunt, atque ita paulatim substantiam eorum exsugunt, quid aliud agunt quam quod conservos suos tenentes suffocant? Propterea S. Ambrosius, l. de Tob. c. XIV. *Usuram petere suffocare est,* inquit, et l. III. offic. *usuram vocat homicidium.* Similiter Cato rogatus quid esset fœnerari respondit: *Est hominem occidere,* Cicero. II. de offic. Germanis, Cornelio Tacito auctore, olim adhuc gentilibus fœnus omne ignoratum et execratum erat; utinam etiamnum foret! Unde patet rationi naturali repugnare usuram, quæ etiam ethnicis solo lumine naturæ degentibus execrabilis erat, idque facile patet: nam manifeste injustum est, ut rei non fructiferæ, qualis est pecunia, exigatur fructus, idque cum proximi, præsertim pau-

peris, gravi damno. Pecunia talis res est, cujus usus est ipsa ejus consumptio, unde non potest seorsum computari usus a re ipsa; sed ex eo quod conceditur res, conceditur ejus usus: sicut non licet vendere alteri vini usum, retento vini dominio. Aliter dicendum, cum res et ejus usus diversa sunt; ut cum equus alicui ad iter vel laborem commodatur. Quæ si non sufficiunt ad execrationem usuræ, terreat saltem malus usurariorum finis, quem ut plurimum sortiuntur. In hist. de viris illustribus ordinis Cisterciensis legitur, de quodam feneratori, qui dum in extremis esset, vocavit notarium pro faciendo testamento, idque in hunc fere modum dictavit: In nomine diaboli, anno damnationis meæ, cum essem pessimæ mentis, commendo corpus terræ, animam diabolo. Animam meam dæmoni trado, quia multa aliena rapui, et iniquis contractibus acquisivi. Et quia uxor mea fuit complex facti, do illam etiam diabolo; et quia filii mei de usura illa vixerunt, do et illos diabolo; et quia confessarius sæpe me confitentem non correxit, nec ad restitutionem obligavit, etiam illum do diabolo. Et his dictis expiravit. En quam verificatur hodiernum evangelium in hoc homine! Audivimus enim venundatum debitorem cum liberis et uxore; quia videlicet peccata patris multoties causant vel promovent, id quod in presenti exemplo contigit.

V. Tales sunt, qui veniam petentibus dare abnuunt; tenent enim illos, dum appetitum vindictæ retinent in mente; suffocant vero, dum veniam rogantibus negant, et per hoc eos in odio etiam confirmant. Quibus justa Dei vindicta sæpe accidit, quod servo nequam, ut in foveam incidant, quam inimicis suis foderant. Exemplum de Nicephoro imp. refertur apud Baron. anno 811. qui cum diu afflisset et vastasset regnum Crunni Bulgarorum regis et pacem suppliciter petenti Crunno dare abnuisset, illud subinde repetens: *Quis ibit et decipiet Achab? Quis sive Deus, sive adversarius trahet me nolentem?* Tandem Crunus videns se nihil obtinere, offerendo quas vellet alter conditiones pacis, in furorem versus per noctem eum fortiter invadens, profligavit et occidit, amputatoque illius capite, ex cranio ipse et principe Schlavinorum biberunt. Caro etiam constitit Clotario Francorum regi, Clodovæi filio, in simili causa veniam negasse Iuetoto nobili Gallo, quem reum credebat læsæ majestatis, cum vere esset innocens tantumque per calumniam ab ejus gratia excidisset, ex eo vero tempore toto decennio contra Saracenos in Africa fortiter dimicasset. Quo exacto Romam se contulit, impetratisque ab

apostolica sede commendatitiis litteris in Galliam rediit, regem sibi infensum et in templo apud Suesiones versantem eo die, quo Christus in cruce pendens veniam impertivit suis crucifixoribus, adiit supplexque obtulit summi pontificis litteras, obtestatusque est ut communis illius Redemptoris memoria, in suæ majestatis gratiam reciperetur. Nemo non sperabat fore ut veniam donatus recederet, sed fefellit rex expectationem universorum educto pugione tempore et loco sacro mox supplicem interemit; quæ immanitate incurrit in odium plurimorum, ab apostolica sede percussus anathemate a quo non est ante liberatus, quam totam Iuetoti familiam libertate donavit, et declaravit nullo unquam tempore obnoxiam fore regiæ potestati, nisi forte exemptionem illam suam venderet. Refert Belleforetius, in Clotario. Sed mitius cum hoc rege actum. Væ talibus, cum Dei judicio tradentur! Quia veniam non impetrabant, qui veniam non dederunt.

VI. Tales sunt qui in aliis severius reprehendunt, quod ipsimet faciunt. Ut primo, qui rigidius exigunt debitorum solutionem, cum ipsi sua non solvant, uti servus iste nequam. Hi enim seipsos condemnant, dum secum haberi patientiam volunt, cum aliis vero habere nolunt. Non didicerunt isti prima christianæ disciplinæ rudimenta, quæ docent: *Quod vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Huc referendi quidam mariti qui fidem thori quidem ab uxore exigunt, eandem tamen ipsis non servant, id quod fecit Ælius Verus Cæsar, qui propterea uxori de extraneis mariti voluptatibus conquirenti respondit: *Uxorem dignitatis nomen esse, non voluptatis, quasi viro liceat voluptatis gratia se aliis feminis miscere, refert Spartianus, in Ælio: sanius et æquius Antonius imperator, qui legem tulit, ne maritus adulterii accusare posset uxorem, si ipse impudice vixisset: Periniquum enim mihi videtur, inquit, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibet, refert D. Augustinus, de adult. conjug. I. II. c. VIII.*

Secundo, qui in aliis parva reprehendunt, ipsi interim magna committunt, itaque centos denarios requirunt, cum ipsi decem millia talenta debeant. Ita: *Eleganter et veraciter, inquit Sanctus Augustinus, lib. IV. de civit. c. IV. «Alexandro Magno quidam pirata comprehensus respondit, cum ab eo interrogaretur, quid ei videretur ut mare haberet infestum? Ille libera voce: Quid tibi, inquit, ut orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo navigio facio, vocor latro: quia tu magna classe, imperator.» Visus est aliquando ridere Socrates præter*

consuetudinem, et interrogatus cur rideret? «Video, inquit, magnos latrones ducentes parvum ad suspendium, qui digniores sunt suspendio;» additque: «Sacilegia parva puniuntur, sed magna in triumphis feruntur,» Valerius Max. I. VII.

Tertio, qui misericordiam a Deo expectant vel jam acceperunt, ejus tamen mox obliti, immisericordes sunt in alios. Advertere debent isti se nondum excessisse e Dei jurisdictione et territorio, adeoque revocari ad judicium posse, sicut revocatus est servus nequam. Longissimæ enim sunt Deo manus: *Cum exaltaveris quasi aquila nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus, Jerem. XLIX.* Et de jure civili, ob ingratitudinem donatarii, revocari potest donatum et beneficium collatum, de post. c. I. feudum XCVI. l. c. eo §. aliæ legatum, ff. de inoff. testam. I. Papinianus. Id etiam expertus est servus nequam in hodierno evangelio. Quare, auditores, abhorreamus toto pectore ab his immanitatibus et dicamus cum Josepho illo patriarcha: *Quomodo possum hoc malum facere?* Induamus potius viscera misericordiæ, quo misericordem aliquando inveniamus judicem. Quanta res hæc foret, si diceret nobis Deus: En vobis calamum et atramentum, scribite vobis ipsis, quale vultis judicium ferri in vos, judicii tempore; id enim ego feram! Quanta hæc res foret! Atqui in hodierno evangelio hanc nobis potestatem facit, dum asserit tale futurum Dei in nos judicium, quale nostrum est in proximum. Non ergo scribamus: *Justitia, justitia*, sed potius: *Misericordia, misericordia*, misericordiam consequamur.

## CONCIO VI.

## EXAMEN FUTURI JUDICII QUAM DISTRICTUM SIT, NEMO CREDIT.

I. Ob multitudinem rerum, de quibus reddenda ratio: 1. De bonis gratiæ. 2. De bonis animæ. 3. De bonis corporis. 4. De bonis fortunæ. 5. De bonis jurisdictionis. — II. Ob districtum judicis examen: 1. De omnibus rebus. 2. De usu talentorum. 3. De singulis actibus. — III. Ob summam regis æstimationem.

## THEMA.

*Voluit rationem ponere cum eis. Math. XVIII.*

Scribit Jacobus de paradiso Carthusianus, in libro de peccat. mental. fratrem religiosum honestæ conversationis, post mortem alteri cuidam fratri suo quem vivens intime dilexerat, oranti

apparuisse habitu vili et vultu tristi. Cujus rei causam cum superstes quævisset, respondit defunctus: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit.* Attonitus hac responsione vivus iterum interrogat, quidnam illud sit, quod nemo credit. Cui defunctus: *Quam districte Deus judicet, et quam severe puniat.* Hoc dicto disparuit et viventem magno concussus timore reliquit. Et vero quem non terreat hæc vox, quæ in omnium nostrum gratiam facta et audita est?

Tria sunt in judicio divino summopere metuenda, quæ nemo hominum credit, donec quis experiatur. Primum, multitudo earum rerum, de quibus est reddenda ratio: alterum judicis examen et disquisitio accuratissima, severissima: tertium, gravissima rerum æstimatio quam habebit judex. Et forsitan ob hæc tria defunctus ille monachus tertio dixit: *Nemo credit.* Ea vero ut crederemus, proposuit nobis Christus triplicem parabolam de suo illo examine. Primam, in hodierno evangelio, de servo, qui vocatus ad rationes, debebat domino suo decem millia talentorum: secundam, Matth. XXV. de talentis, quæ repetit a servis cum adjecto fenore: tertiam, Luc. XVI. de villico, quem ob dissipata bona sua, munere suo privavit. In prima, discimus debitorum nostrorum multitudinem; in secunda, exactioris rigorem; in tertia, æstimationis gravitatem. Ea vero nunc excutiemus.

I. Nemo credit, quam multa ea sint, de quibus ratio erit reddenda. Ea vero colligi possunt ex debitore decem millium talentorum, et redigi ad quinque bonorum genera, juxta numerum quinque talentorum: suntque bona gratiæ, corporis, animæ, fortunæ, jurisdictionis. Bona gratiæ sunt fides, gratia, vocationes divinæ per Dei verbum, per libros pios, per bona exempla, per inspirationes internas, per beneficia, per flagella et castigationes, sacramenta item et sacrificia, et quæcumque nobis Christi sanguine parta sunt.

Itaque reddenda imprimis ratio est de fide christiana, ad quam vocati sumus, num eam in vacuum receperimus, h. e. nullo operum bonorum fructu, quem a fidelibus exigit Deus, sicut ficus a ficulnea: item, an juxta fidei præscriptum vixerimus, an fidem nobis oblatam, ac prædicatam acceptaverimus, et qua mente: an eandem incontaminatam ad finem usque servaverimus. De gratia deinde duplici, gratis data et gratum faciente. De illa num eam ad quod data est, veluti ad docendum, sanandum, etc. debite distribuerimus; de hac vero an ea sedulo custodierimus, nec pro vili pretio distraxerimus; an cum eadem fructuose laboraverimus, et merita regni cœlestis paraverimus. De vocationibus di-